

Narodna in univerzitetna knjižnica
v Ljubljani

II Lg 80/br

33771

STATUTA



STATUTA

PROVINCIAE

S. CRUCIS

CROATIAE-CARNIOLIAE

Ordinis Fratrum Minorum

S. P. Francisci

Reformatorum,

In Capitulo Provinciali Labaci ad B. V. Mariam ab angelo salutatam die 17. Julii 1889. sub praesidio A. R. P. Callisti Heric, Commissarii — Visit. gen. rite et canonice celebrato, examinata, correcta et demum ab omnibus Provinciae Definitoribus et Guardianis legitime congregatis approbata et propriae singulorum manus subscriptione totius Provinciae nomine unanimiter acceptata.

LABACI, 1889.

TYPIS BLASNIK. — SUMTIBUS NOM. PROV.

II Lg
33771

Fr. Bernardinus a Portu Romatino

Strictioris Observantiae

Sancti Patris Nostri Francisci

jam S. Theologiae Lector, Venetae Provinciae

Ex-Minister, Ex-Procurator Reformationum,

S. R. C. Consultor

Totius Ordinis Minorum Minister Generalis

et humilis in Domino Servus

I. M. I. F.

Statuta Provinciae S. Crucis Croatiae-Carnioliae Ordinis S. P. Francisci Reformationum, quae in hoc volumine descripta sunt ex antiquis ejusdem Provinciae Statutis olim deprompta, et modo jussu Nostro revisa et emendata approbamus, atque ut pie ac fideliter ab omnibus servantur vehementer in Domino hortamur et urgemus.

Datum Roma ad S. Antonium prope Lateranum die 28. Augusti 1888.

(L. S.)

Fr. Bernardinus,
Minister Generalis.

De mandato Paternitatis Suae
Reverendissimae

Fr. Irenaeus a Torcenio.
Strict. Observ. Secretarius Generalis.



030055827

D209/ 1950

PRAEFATIO.

niversi Religiosorum Ordines praeter sacram Regulam fundatoris sui omni quoque tempore habebant Ordinationes et Constitutiones, a zelosis et vigilantibus Majoribus conditas, ut omnes ejusdem Religionis professores in omnibus actionibus ad communem ac uniformem vitam melius determinarentur atque a Regulae suae transgressionibus securius praeservarentur.

Talia Statuta particularia seu provincialia in Provincia nostra inde a receptione Reformationis condebantur in variis Capitulis tum provincialibus cum Congregationibus definitorialibus intermediis, quae in unum collecta anno 1719. Labaci typis edita et Romae adprobata fuerunt; progressu autem temporis altiori ordinatione interdicta et quodammodo abolita sunt, quin alia in eorum locum substituerentur.

Deinde anno 1838 in Capitulo Provinciali, Labaci habito alia parum modificata et adjunctis temporum, locorum et personarum accommodata recepta sunt; ast compilatore eorundem A. R. P.

Ferdinando Vonča, Minr. Prov., praemature e vivis sublato, typus haud vulgata fuerunt.

En fratres charissimi modo habetis recentissimam Statutorum provincialium compilationem, enixeque Vos hortamur et obsecramus in visceribus D. N. J. Christi, ut illa corde magno et animo volenti excipiat et quam fidelissime observetis, ut eorum observatione vita communis, quae est basis ac fundamentum omnis vitae religiosae et monasticae, penitus restituatur et rigore teneatur, qua introducta omnia praecepta s. Regulae facilitantur.

Agite igitur et confortamini et estote viri fortes, ut sitis veri filii et imitatores seraphici nostri Patriarchae S. Francisci, sibi aliisque proficientes Dei zelo ducti!

Itaque Fratres! state et tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam.

II. Thess. 2, 14.

Labaci die 17. Julii 1889.

In Nomine Domini. Amen.

Caput I.

§. 1. De observantia s. Regulae.

1. Finis omnis creationis Deus est ejusque gloria. Ad quem finem assequendum quilibet pro suo statu tendere debet. Nos autem in partem Domini vocati ad id eo magis obligamur, quod insigne subsidium gloriae Dei perficiendae et promovendae, s. Regulam seraphici nostri Patriarchae amplexati et professi sumus. Quapropter praesentibus hisce declaramus, nos illam integre et inviolate absque glossa, absque ulla dispensatione vel relaxatione (nisi in casu necessitatis), praeter quae a s. Sede apostolica et Const. Ordinis statuta et sancita fuerunt, Deo adjuvante usque in finem observare velle.

2. Hortamur igitur Superiores, ut observantiae s. Regulae sollicite invigilent. Quem in finem qualibet hebdomada semel illam cum Testamento S. Patriarchae praelegi et exponi faciant, prout et declarationes Nicolai III. et Clementis V. bis in anno, mensibus Januario et Julio; item haec Statuta in utroque jejunio. — Ipsi vero Guardiani in sic dictis Capitulis explicant ex Constitutionibus generalibus omnia illa, quae observantiam s. Regulae, disciplinam regularem, vitam vere apostolicam etc. concernunt.

§. 2. De obedientia.

Fratres omnes vi voti et ex praecepto s. Regulae strictissime tenentur ad obedientiam et reverentiam exhibendam Summo Pontifici et Ecclesiae Romanae, item Ordinis Ministro Generali, vicemgerenti S. P. N. Francisci, aliisque Superioribus, quibus subsunt, et quidem ex amore filiali, non autem quasi tristes.

Caput II.

§. 1. De Novitiorum receptione.

1. Juxta decretum Ss. D. PP. Pii IX. de dato 25. Jan. 1848. „Romani Pontifices“ nemo ad Ordinem admittatur absque litteris testimonialibus tum Ordinarii originis, cum etiam Ordinarii loci, in quo postulans post expletum 15. annum aetatis suae ultra annum commoratus fuerit.

2. Nemo recipiatur ad habitum, nisi ornatus sit requisitis a Sixto V. „Cum de omnibus ecclesiasticis Ordinibus“ et a Gregorio XIV. „Circumspecta Romani Pontificis providentia“ conditionibus, praesertim, ut sit fidelis et catholicus, de nullo errore suspectus, matrimonio consummato non ligatus, legitime natus, debitis expeditus — si clericus, debita scientia, si laicus, aut tertiarius, dexteritate artis vel opificii praeditus, — conditione liber aetatis saltem sexdecim annorum inceptorum pro Clericis, pro Laicis vero viginti, nulla vulgari infamia notatus, sacramento Confirmationis munitus, nec a Judaeis vel Mauris aut Haereticis descendens usque ad quartum gradum.

3. Insuper singulis ante receptionem ad habitum et immediate ante professionem tam simplicem quam solemnem notificetur, quod si lepra, morbo gallico, morbo caduco, aut aliqua contagiosa infirmitate, aut alio impedimento canonico labora-

verint et ante professionem tale quid celaverint, eorum receptionem et professionem nullam irritamque esse.

4. Illegitime nati non recipiantur ad habitum, nisi examinata prius eorum vita, et adjunctis undequaque perpensis, adeo bonam indolem praeserant, ut defectum natalium suppleant et spes affulgeat, eorum receptionem bono Ordinis fore. Ad id requiritur unanimis consensus Ministri Generalis vel Provincialis et Definitorum in ipso generali vel provinciali Capitulo. Attamen ita recepti ad Praelaturas Ordinis obtinendas inhabiles et incapaces remaneant, donec cum eis Auctoritate apostolica super hoc dispensatum fuerit.

5. Ex Regula nostra soli Ministro Provinciali facultas Novitios recipiendi competit, ast Const. applicae. et generales Ordinis praecipiunt, ut id fiat a P. Provinciali cum suo Definitorio. Quia vero difficile est extra tempus Capituli aut Congregationis Definidores in consilium vocare, ideo P. Provincialis hoc negotium cum aliorum saltem trium Patrum in quavis Congregatione, vel Capitulo Provinciali eligendorum consilio peragat, qui Examinatores vocentur. Qui proinde examen instituant super iis, quae sub Nr. 1. et seq. dicta fuere. Poterunt etiam informationes secretas sibi comparare, ut rectum iudicium ferre possint.

6. Receptus ad Ordinem ad minus per triduum commorabitur intra Conventum in habitu saeculari, et piis exercitiis ad confessionem generalem, nisi proxime antea eam fecerit, se praeparabit, quam coram quocunque sacerdote regulari vel saeculari deponere licet. Ipso induitionis die S. Synaxi se reficiat. Interim sequatur communitatem in Choro, ac aliis exercitiis Clerico ac Laico congruis occupetur, neque possit illis diebus absque licentia Superioris clausuram egredi, aut cum saecularibus confabulari.

7. Induitio ac ad Professionem receptio ex Ministri Provincialis delegatione fieri poterunt tum a Guardianis, cum ab aliis ad id specialiter delegatis.

8. Porro juxta Conc. Trid. nemini liceat a Novitiis quidquam accipere; si vero ante vel post induitionem Novitii pro sua pietate et libera voluntate aliquid fratribus vel Conventibus nomine legati vel donationis dare voluerint, id admitti potest, si alias (dum tempore Novitiatus fecerint) servata fuerit forma a Conc. Trid. praescripta, at tamen nonnisi secuta Professione solemni liceat Procuratoribus apostolicis de ejusmodi legatis et donationibus in bonum fratrum vel Conventuum disponere prout Superiores in Domino opportunius judicaverint.

§. 2. De Novitiorum educatione.

1. Res summi momenti est educatio Novitiorum, ad quod munus eligantur in Magistros viri graves, pii, prudentes, doctrina et moribus praestantes, discreti, qui liberi sint, in quantum fieri potest ab aliis officiis hanc curam nimium impediuntibus.

2. Nullus Fratrum, neque ipse Superior localis, directe vel indirecte sese ingerat aut opponat Magistro in regimine, educatione et correctione Novitiorum, quod eatenus quatenus valet et de reliquis Magistris et Exhortatoribus. Econtra Superiores illos quoquo modo adjuvent in hoc tam gravi munere.

3. Novitii in doctrina evangelica et in cognitione s. Regulae et Asceseos instruantur juxta Constitutiones apostolicas et Ordinis nostri. Instituantur etiam in disciplina regulari juxta Speculum S. Bonaventurae; in Lyturgia, cantu choral

rubricis Breviarii; item ipsis exponantur Hymni et Psalmi.

4. Ad Novitiatum ipsum et ad cellas Novitiorum nemini, non tantum saecularium, sed etiam nostrae, vel alterius Religionis, etiam proprii Conventus Religiosis nullo unquam tempore sub quovis praetextu, absque licentia Magistri vel Superioris, aditus pateat.

5. Novitiis non liceat loqui cum saecularibus, etiam propinquis, nec Religiosis cujuscunque Ordinis, nisi necessariam ob causam, a Guardiano vel Magistro approbatam, quorum alteruter loquenti semper assistat.

6. Caveant Superiores, ne Novitium aliquem extra Conventum dimittant, nisi ex causa publica, videlicet ad processiones et similia, seu ex alia necessaria et urgente; idque rarissime et cum socio maturo ac gravi; nec ullus Novitiorum audeat solus circuire Conventum aut hortum, sed semper habeat Novitium, socium, si adest.

7. Novitii singulis diebus culpam dicant, nec unquam aliquid potus extraordinarii ad mensam habeant, nisi quandoque Superior concesserit atque potione solita semper sint contenti; imo et hac ad abstinenciae utilissimam virtutem plantandam pro sua privata mortificatione nonnunquam de Magistri sui licentia sponte se privabunt.

8. Cum approbatio et reprobatio Novitiorum sit unum ex gravioribus Religionis negotium, serio monemus omnes Religiosos, ut in re tanti momenti maximo zelo et circumspectione se gerant, et ne Religio gravetur, proinde praescribimus normam sequentem ferendi suffragia pro Novitiis. Praevia nempe die Superior, cui votatio committitur, intimet Communitati futuram votationem, omnesque moneat de gravissima obligatione, si aut dignis vota negaverint, aut indignis quocunque

titulo dederint. Ipsa vero votationis die ante secretam votationem Superior quemlibet in sua cella constituat, incipiendo a juniore, et an aliquid contra Novitium in conscientia deponendum habeat, exquirat et puncta deposita, si sint gravia, Ministro Provinciali communicet, si vero levia et quotidiana, ipsemet post vota, secreto in Refectorio more solito collecta, Novitiis proponat emendanda aut ut brevius totum absolvatur, dicat, ut qui contra Novitium aliqua opponenda habet, ante secretam votationem eadem sibi manifestet. Et iste modus votandi servetur in prima et secunda votatione; tertia autem votatio fiat absque praevio scrutinio omnino secreta.

9. Statuimus, ut pro quolibet Novitio separatim accipiantur suffragia, et quidem prima et secunda vice quolibet quarto ad finem vergente sui Novitiatus mense, tertia vero ante bimestre Professionis, Fratribus capitulariter congregatis. Si Novitius prima vice tres ex quatuor partibus, secunda vero vice duas ex tribus non tulerit, tertia vero vice, si suffragiorum tertia pars Novitio defuerit, moneatur Minister Provincialis, qui pro sua benignitate et prudentia declarabit, quid faciendum; si vero tertia vice Novitius suffragia secreta ultra medietatem pro se non habuerit, de scitu Ministri Provincialis ab Ordine expellatur. Nullus vero Fratrum pro Novitio suffragium ferre poterit, nisi per biennium jam solemniter professus, atque per duos saltem menses continuos cum Novitio de familia convixerit.

10. Declaramus, quodsi non constet, Conventum injuste suffragia negasse Novitio, Minister Provincialis non possit talem Novitium sua auctoritate ad professionem admittere sub nullitate Professionis.

11. Novitio sua vestimenta repetenti et ad seculum redire anhelanti, P. Provincialis delibe-

randi tempus praescribat, ordinarie triduum, post quod si non obstante debita instructione et admonitione facta manserit in sua opinione et petitione, dentur ei vestimenta, et dimittatur. Si autem et hujus morae foret impatiens, poterit a Guardiano de consilio Discretorum Conventus dimitti, datis prius a Novitio reversalibus, uti moris est.

12. Nullus fratrum se ingerat in distribuendis Novitiorum bonis, sed in hoc observentur Declarationes Clementis V. sub poena privationis officii, si sit Superior, et proprietarii, si sit subditus. Novitii ad Professionem non admittantur, nisi doctrinam christianam, Regulam ac Regulae praecepta coram fratribus capitulariter congregatis memoriter prius recitaverint; itemque recte Officium divinum recitare, ac illud ipsum per se ordinare noverint. Idem praestare teneantur Laici. Qui vero horum legere nesciunt, aut adeo debiles memoriae fuerint, ut praedicta omnia addiscere non possint, saltem christianam doctrinam et Regulae praecepta omnino apte recitent. Teneantur quoque Novitii tum Clerici, tum Laici, Professioni praemittere spiritualia exercitia saltem per triduum.

13. Superior localis in libro ad hoc destinato diligenter describat et notet diem receptionis habitus, nomen, cognomen, parentes et patriam, necnon annum et diem natalem Novitii, qui etiam sua propria manu penes ipsum Superiorem et Novitiorum Magistrum subscribet, et notam P. Provinciali juxta solitum morem transmittat ad Provinciae librum receptorum ponendam.

14. Novitii tempore suae probationis, prohibentur studiis incumbere, ad Ordines promoveri (quod ante emissam Professionem solemnem omnino fieri nequit) aut Confessiones excipere, etsi in saeculo fuissent Confessarii.

15. Magistri Novitiorum ad finem anni ex ascesi et regulis modestiae discipulos suos in praesentia Superioris localis et saltem unius Discreti stricte examinare teneantur, et de doctrina eorum tam in hujusmodi examine, quam per decursum anni manifestata testari, addendo ulteriorem veridicam et conscientiosam attestationem de cujusvis naturae talentis, diligentia et profectu in moribus et studiis; quae tamen attestationis nonnisi praevia consultatione cum Superiore locali fiant, ac ab eodem subscriptae P. Provinciali mittantur.

§. 3. De Fratribus junioribus et admittendis ad Professionem.

1. Quia brevi unius anni spatio juvenes statum regularem amplexi in perfectione religiosa sat fundari nequeunt, finito etiam probationis anno, qua simpliciter professi, sedulo instruantur in iis, quae vitam monasticam concernunt. Quapropter omnes, expleto Novitiatu, quamvis ad Presbyteratum promoti, donec quartum Theologiae cursum absolverint, cuidam Magistro seu Exhortatori, qui ad altiorem spiritus perfectionem eis viam monstrabit, eorumque moribus specialiter invigilabit, concrediti, seu ut dici solet, sub disciplina seu in Junioratu erunt; Laici vero semper, qui demum post expletum in Ordine annum decimum ex parte tantum ab officiis Junioratus dispensentur.

2. Fratres Clerici, prout et juvenes sacerdotes usque ad absoluta studia, et Laici singulis diebus exceptis Dominicis et classicis culpam dicant Superiori in Refectorio alta voce.

3. Clerici nec in toto, nec in parte ante completum quartum ss. Theologiae cursum dispensentur a Junioratus muneribus; et si intra idem tempus

ex sufficienti ratione ad sacrum Presbyteratus ordinem promoti fuerint, nihilominus etiam qua sacerdotes sub disciplina Magistri erunt.

4. Idem fratres Clerici et Laici singulis diebus festis et Dominicis, prout et omnibus aliis ab Ordine jam assignatis ss. Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae omni, qua par est, devotione, pietate ac humilitate suscipiant, nec unquam ex pigritia, animi levitate, aut nausea spirituali eadem sua sponte negligant.

5. Juxta decreta caesarea professio sollemnis non fiat, nisi completo 24.^o aetatis anno, aut 21.^o simulque tertio Religionis et absoluta a Clericis philosophia; juxta Decretum PP. Pii IX. (19. Mart. 1857) novitiatu legitime expleto statim vota simplicia emittantur et continentur saltem per triennium, a die emissionis computandum, nec minus, usque ad expletum annum vigesimum primum ob Decretum caesareum; deinde, si taliter professi digni reperiantur, ad professionem, votorum sollemnum admittantur; poterit vero Minister Generalis, ac etiam Provincialis, ex justis et rationabilibus causis professionem votorum sollemnum differre ultra terminum etiam triennii et anni vigesimi primi, non tamen ultra aetatem annorum 25 expletorum.

6. Actus ipse professionis (sicut et inductionis) si nil obstat, fiat in ecclesia, ubi ss. Christi Corpus asservatur, aut in oratorio contiguo, praemissa ex parte profitentium (vel induendorum) sacramentali confessione et communione, et observatis in Provincia consuetis caeremoniis.

7. Simpliciter vel sollemniter professurus diligenter moneatur, quam gravis ea res sit et quam multa requirant tria illa religiosa vota, ut vinculi vim serio intelligat, quo sancte ac pie adstringi

deliberat. Porro ad professionem solemnem nemo deinceps admittatur, nisi praevia favorabili scripta attestazione Guardiani, Discretorum, et, si de Clerico agatur, etiam Lectorum Conventus, in quo iste Clericus moratur, et nisi Patres Examinatores simul cum Provinciali, postquam praedicta attestatio illis communicata fuerit, per secreta suffragia definiant esse admittendum. Diei tandem, mensis et anni, quibus facta est Professio, nominis item et patriae profitentis et ad professionem admittentis memoria fiat in libro ad id destinato juxta solitam formulam, cujus copia a Neoprofesso manu propria scripta et a testibus subscripta mittatur ad Archivium Provinciae.

Magister seu Exhortatur F. F. Laicorum singulariter et principaliter curet ac adlaboret, ut Laici exacte instruantur: a) In profunda humilitate, statum laicalem specialiter decente. b) In resignata, promptaque obedientia, pro consolatione Laicorum praecipue et semper serviente. c) In bona, rectaque intentione in omnibus semper habenda. d) In fideli indefessaque diligentia laboris manualis, ad quem ex Regula graviter tenentur, et circa quam notabiliter deficientes in conscientia securi non sunt, nec bona conscientia cum aliis comedere valent. e) In fideli administratione et applicatione eleemosynae commissae, ad quod vi voti paupertatis tenentur. f) In mansuetudine et patientia omnes Religiosos singulariter ornante. g) In fuga etiam umbrae alicuius suspecti eloquii, consortii vel operis in materia impudica, utpote in qua vel a longe rei mundum scandalizant, Ordinem confundunt, et propterea a Deo, S. Patre, et tota coelesti curia horrende maledicti in summo periculo aeternae damnationis versantur. h) In debito modo et praxi extirpandi malas passiones, vitia, habitus, et implantandi virtutes. i) In reli-

giosa modestia, urbanitate et humanitate; quo ad haec novem allegata puncta specialiter instructos et habituatos volumus esse omnes et singulos nostros fratres Laicos et Tertiarios claustrales.

§. 4. De vestimentis et tonsura.

1. Nullus Fratrum aliud indumenti vel vestimenti quidquam portet in suo corpore, quam prout S. Regula praescribit. Quodsi locorum, temporum et personarum dispositio aliud requirant, possunt dispensare Superiores.

2. Cum autem uniformitas magno sit Religioni decori, et nostrae commendationi, omnes indispensabiliter pro majori decencia more Reformatorum eadem habitus forma vestiantur, et non ex alio, quam a Provincia communiter subministrato panno.

3. Adlaborent Superiores, ut sandalia uniformia pro omnibus et singulis conficiantur; ocreis autem et crepidis calceatos incedere nonnisi illos permittant, in quibus aut pedes sauciatos vel malesanos, aut secus qualemcumque manifestam necessitatem animadverterint.

4. Cum communitates hoc fine salubriter sint ordinatae et erectae, ut fratribus ad singulares benefactores pro privatis necessitatibus recursus praescindatur, quo Franciscana paupertas in pluribus proscribitur, et ejus loco proprietas inducitur; noverint Superiores locales sub privatione officii debiti sui esse, ut erectas conservent et ad sufficientiam semper augeant. Ut autem opus hoc nunquam satis commendandum facilitetur, omnibus Patribus et Fratribus praecipitur, ut quidquid vestimenti sive lanei, sive linei possident, ad communitatem deponant. Distribuantur autem secundum antiquum morem Fratribus necessaria singulis diebus sabbatinis ex communitate.

5. Praecipimus universis Superioribus loca-
libus, ut duplex vestiarius erigant, conservent et
in usum deducant, atque ita a cunctis Patribus
et Fratribus circa festum Ss. Ap. Philippi et Ja-
cobi assumantur habitus aestivales, circa festum
vero omnium Sanctorum hiemales. Et ut facilius
conserventur communitates, ordinamus, vestiaria
Religiosorum defunctorum relinquenda esse Con-
ventui, in quo decedunt. Religiosus, missus ad
alium Conventum incolendum, secum afferre possit
vestimenta suomet usui destinata, quae Communi-
tati Conventus suae novae collocationis tradantur.

6. Ad praecludendam viam variis inconve-
nientiis, confusionibus et querelis, statuimus, ut
P. Provincialis occasione suae visitationis cano-
nicae Religiosos omnes cujuslibet Conventus ves-
tiarii indigos notet cum Discretorio Conventus,
nullo prorsus habito respectu, quo anno, loco et
tempore receperint habitum, tunicam vel pallium,
et hujusmodi notam consignet Superiori locali, qui,
si fratrum necessitatibus neglexerit succurrere, ad
arbitrium Min. Provincialis puniatur, prout et illi,
qui sibi ipsis, vel alteri nova curant fieri vesti-
menta absque Superioris licentia.

7. Serio monemus Superiores locales; ut ne-
minem ex suis subditis habitu lacerato, sordido
et infecto incedere, minus coram saecularibus com-
parere sinant. Hinc vestimenta rite purgentur et
rificentur.

8. Capitis tonsuram patentem omnes, tam
Sacerdotes, quam Clerici, Laici et Tertiarii juxta
morem in hac Provincia usitatum deferant. Quem
pudet tonsurae clericalis, memorialis coronae Christi,
certe indignus est, ut ejus quoque officio fungatur.

Caput III.

§. 1. De divino officio et meditatione.

1. Nullus omnino cujuscunque dignitatis aut superioritatis titulo ab officio Chori censeatur immunis, nisi pro tempore, quo quis in officio muneris sui occupatus fuerit. Quapropter omnes Sacerdotes et Clerici semper et mature in Choro conveniant, laudes divinas ibi persoluturi. Qui vero ratione muneris sui semper in Choro comparere nequit, ad aliquam saltem partem Officii divini, in quantum possibile est, quotidie venire studeat. Etenim pro recitatione horarum canonicarum in Choro plures, eaeque insignes indulgentiae a Summis Pontificibus concessae fuerunt.

2. Officium divinum non praecipitanter vel negligenter, sed clare, pie, attente ac devote debitis pausis interpositis persolvatur. In recitatione ejusdem solitae capitis et corporis inclinationes, genuflexiones et prostrationes ordinate et devote observentur.

3. Quotidie bis instituatur oratio mentalis seu meditatio, et quidem per dimidiam horam. Mane hora 7. intra missam conventualem, ad quam omnes laici, clerici et sacerdotes, legitime non impediti, convenire debent. Vespere autem post persolutum Officium divinum, item per dimidiam horam. A meditatione in communi nemo exemptus est, nisi forte ejus absentia propter concurrentiam aliorum gravium officiorum, ut puta cura animarum, visitatio infirmorum, administratio Sacramentorum et similia, excusatur. Hi tamen privatim illam peragere minime negligant utpote insigne pietatis et perfectionis subsidium.

§. 2. De celebrando Ss. Missae sacrificio et aliis pietatis exercitiis.

1. Missae conventuali omnes fratres, quantum fieri potest, intersint. ut supra ordinatum est.

2. Curent Sacerdotes, ut ad celebrandum tremendum et ss. Missae sacrificium devote se praeparent, rite secundum Rubricas peragant, ut in se et in circumstantibus veram devotionem excitent. Ideo, quotiescunque opus fuerit, peccata sua confiteantur.

3. Patres Sacerdotes, nisi legitime impediti existant, quotidie summa devotione et debita temporis mora et fixa a Superioribus hora ad intentionem, in speciali libro, in Sacristia patenti, a Superiore vel ejus delegato assignatam, Ss. Missae sacrificium celebrent; semel autem in hebdomada, in die onomastico et in festo Nativitatis D. N. J. Chr. possunt pro se applicare, excluso tamen quolibet jure quoad talium Missarum stipendia.

4. In festo Immaculae Conceptionis B. V. M. pro publicis Provinciae necessitatibus, in festo S. Floriani pro avertendis incendiis, et in festo S. Joannis Nep. pro conservanda Provinciae fama bona in singulis Conventibus cantetur, vel, ubi id fieri nequit, legatur unum sacrum.

5. Monemus Superiores locales, ut etiam fratribus Laicis et Tertiariis claustralibus per annum aliquot sacra faveant.

6. Mandamus Superioribus localibus, ut in recipiendis Missarum quotidianarum oneribus Decreto Urbani VIII. „Cum saepe contingat“ sese conforment, nec plura sacra suscipiant, quam infra modicum tempus satisfacere omnibus possint. Item interdicimus, ne aliquam perpetuam obligationem suscipere praesumant, nisi pia legata, protestando tamen contra legati proprietatem, quae relinquenda

est legatariis aut eorum heredibus; semper autem fundatio Sacrorum quotannis celebrandorum respectivo Ordinariatui episcopali notificanda est, ut legaliter vinculetur.

7. Sedulo quoque invigilent Superiores, ne quidquam etiam minimum absque ipsorum scitu in Sacristia per Sacristanos recipiatur; imo illis praecipitur, ne paramenta vel alia quaecunque ad Sacristiam spectantia commodent cuiquam personae vel loco extra Ordinem: excipiuntur tamen personae conspicuae vel bene notae, quibus requisita Ecclesiae suppellex ad modicum tempus sub debitis cautelis commodari poterit.

8. Serio ordinamus, ut dum Ss. Eucharistiae Sacramentum publicae adorationi in Altari exponitur, nullus secularium indebite vestitus ad purganda luminaria, aut aliud quidquam circa Altare ordinandum admittatur, quin imo Sacristis ipsis et eorum substitutis stricte imponimus, ut nonnisi superpelliceo decenter induti Altare accedere praesumant.

9. Summopere in Domino hortamur, quin imo praecipimus Superioribus localibus, ut solemnitas Ss. Nominis Jesu et Immaculatae Conceptionis B. V. M. cum sua Octava omni devotione, cultu et pompa, more solito celebrent. Item singulis diebus post Completorium dicatur Antiphona: „Tota pulchra“ etc. cum sua Oratione.

10. Ad imitandum humilitatis exemplum Superiores in die Coenae Domini lavent pedes subditorum suorum juxta Rubricas Missalis.

11. In qualibet hebdomada 4. Temp. fiat Capitulum pro culpis dicendis, cui omnes, exceptis nondum professis, intersint, in quo Superiores locales debeant habere aliquam ad familiam exhortationem Religiosorum statui accommodatam, etiamsi publice corrigendum nil occurrat; quae

vero corrigenda sunt, aut generaliter aut speciatim pro sua prudentia corrigant.

12. Ut saltem memoria conservetur disciplinae, seu propriae verberationis usus, qui in Ordine fere ubique viget, statutis diebus recitentur in choro Psalmi et Orationes Disciplinae prouti in fine Diurnalis adnotantur.

13. Exercitia spiritualia in quolibet Conventu quotannis opportuno tempore per octiduum fiant, prout hoc Religiosis omnibus praescribunt Decreta pontificia, praesertim Alexandri VII. Quoniam vero expedit, ut dies Dominica sit libera, R^{mus} P. Min. Generalis P. Bernardinus a Portu Gruaro in Encycl. ad Provinciam Tirolensen S. Leopoldi statuit, exercitia incipienda esse in vespera diei Dominicae et in mane Sabbati subsequentis concludenda.

14. Si unus alterve fratrum exercitiis interesse nequiverit, solus ea quam primum peragat. — Tempore exercitiorum strictissimum servetur silentium, et in quantum fieri potest, cesset omne negotium non necessarium.

15. Inter reliqua pietatis opera pro privata devotione commendantur: quotidiana visitatio Ss. Sacramenti, Viae S. Crucis, recitatio Rosarii seraphici i. e. septem gaudiorum Immac. Virg. Mariae etc., devotio erga Ss. Corda Jesu et Mariae, S. Joseph, S. Franciscum, Antonium etc. Adlaborent etiam omnes, ut in populo fidei III. Ordinem S. P. N. Francisci pro facultate foveant, promoveant atque excolant.

§. 3. De suffragiis defunctorum.

1. Praecipimus Superioribus localibus, ut in perpetuum die commemorationem omnium fidelium defunctorum immediate sequenti pro animabus omnium Provinciae Fratrum defunctorum

eadem peragi curent, ut in ipsa die praecedenti omnium fidelium defunctorum; sacerdotes pro eis celebrent, Clerici Officium Defunctorum recitent et Laici centum Pater et Ave dicant cum totidem: Requiem aeternam etc.

2. Mandamus insuper, ut singulis mensibus die proxime non impedita Officium Defunctorum in Choro recitetur et Missa de Requiem legatur pro universis Provinciae Fratribus, Superioribus generalibus, parentibus, propinquis et benefactoribus nostris vita functis, praeter illa quinque officia ex Constitutionibus generalibus dici solita; pro quorum singulis Officiis Laici dicant centum Pater, Ave et Requiem aeternam.

3. Pro fratribus nostrae Provinciae defunctis in singulis Conventibus dicantur Vigiliae et Missa cantetur; Sacerdotum quilibet unam Missam (exceptis illis fratribus, qui ante professionem solemnem moriuntur, pro quibus unum tantum sacrum in quolibet Conventu legitur) persolvat. Fratres Clerici Officium Defunctorum integrum, et Laici centum Pater, Ave et Requiem aeternam dicant. Verum pro Eminentissimo Protectore, Reverendissimis Superioribus generalibus et P. Provinciali actuali haec triplicentur; pro Patribus autem officium Ministeriatus functis eadem bis peragantur. In quo quis Conventu obit, pro anima illius etiam anniversarium cantetur aut legatur, cum Officio Defunctorum in Choro, idque una vice duntaxat.

§. 4. De jejunio et abstinentia.

1. Jejunia ab Ecclesia et a S. Regula praescripta, nisi dispensatio a legitimis Superioribus obtenta fuerit, omnes in spiritu poenitentiae et hilari animo observent, dicente Domino Matth. 6,

16: „Cum autem jejunatis; nolite fieri sicut hypocritae tristes.“

2. Volumus item, ut jejunia, quae in locis, ubi Conventus nostri existunt, ex voto aut consuetudine, aut ex alia quacunque causa vigerent, ab omnibus Fratribus ibidem degentibus observentur.

3. Sobrietatem et frugalitatem omnes diligenter servare studeant tam in cibo, quam in potu, sicut decet paupertatis sanctissimae sectatores.

§. 5. De Fratrum conversatione.

1. Magnopere hortamur omnes Fratres, ut in habitu, gestu, incessu, sermone, omnibusque aliis actionibus vere Religiosos se exhibeant ad aedificationem populi. Caveant a nimia conversatione et familiaritate secularium, ne spiritum orationis in se extinguant. Plurimum damni illi fratres Religioni nostra inferunt, qui putativis talibus amicis dicta nostrorum et facta infami confidentia manifestant aut jocis ineptis eorum gratiam captare student. Ab hisce malis omnes caveant.

2. Nemini fratrum alio discedenti absque facultate Superioris licet supellectilem cellae aut librum secum auferre aut ad alium Conventum transportare. Non tamen intendimus per hoc Lectores, Concionatores et Studiosos scriptis suis, aut libris cum Superiorum licentia ad simplicem usum comparatis privare.

3. Dum Fratres, praecipue illi, qui scholarum quarumcunque magisterio occupantur, terminato anno scholastico vacationum tempore ad refocillandum litterariis laboribus defatigatum spiritum, ad auramque mutandam aliorum commigrandi

desiderium manifestaverint, facultatem a Ministro Provinciali et a Superiore locali obtinere satagant.

4. Ad conductus funebres incedant omnes tecti Caputio vel solito bireto, ad processiones vero capite aperto. Pallio utantur, quando aspera temperies id postulat.

5. Fratres aliarum Provinciarum ultra tri-duum non retineantur, nisi ad id specialem ostenderint facultatem, aut nisi dignitas accedentis aliud suadeat vel infirmitate aliqua a proseguendo itinere detineantur.

6. Mandamus, ut Fratres per loca et civitates, in quibus Conventus nostri existunt, bini incedant, nisi rationabilis et justa causa aliud suadeat.

Caput IV.

§. 1. De pecunia non recipienda.

1. Ordinis nostri principale praeceptum est, ne fratres per se vel per interpositam personam denarios seu pecuniam recipiant. Aliarum enim rerum necessariarum dominium quidem non habemus, usum tamen simplicem et moderatum habere possumus, pecuniae autem nec simplicem hunc usum. Quapropter quaelibet pecuniae contrectatio, quae sit quovis modo politica, nobis omnino est prohibita.

2. Altamen materialis contrectatio, acceptatio et usus pecuniae nonnunquam licent, ut e. gr. in itinere. Secluso enim scandalo contingere potest, ut quis praesertim in longis, iisque necessariis itineribus in viis ferratis, deficiente socio tertiaro vel homine seculari, qui Syndici vices obeat, pecuniam secum deferre debeat ad solvendas itineris expensas. Quo in casu Superior localis, per Ministrum Provinciale tali obtenta dispensatione, pecuniae summam illi tradat, ipse vero ad Conven-

tum reversus rationem reddere et reliquum pecuniae tradere tenetur.

3. Fratribus non licet pro pecunia ludere, licet alius lucrum vel damnum ferat, quia haec esset non necessaria pecuniae contrectatio.

4. Ad tollendam occasionem recurrenti ad pecuniam, non servata forma a Pontificibus praescripta, aut habendi peculium privatum, renovantur omnia statuta et decreta, quibus inculcatur Superioribus, ut singulis fratribus de omnibus necessariis ad religiosam sufficientiam provideant, et hac in re se nequaquam tenaces, sed liberales potius verbis et factis ostendant; quin imo, ut statuta praescribunt generalia, saepe moneant et hortentur suos subditos, ut sibi secure manifestare velint et debeant necessitates proprias. Subditi vero teneantur adire Superiores eisque occurrentes necessitates fidenter exponere.

5. Ne tamen Conventus aliqua elemosyna fraudentur, et per hoc inhabiles ad praedicta praestanda fiant vel praetendantur, sciant omnes et singuli: „quidquid monachus acquirit, non sibi, sed monasterio acquirit“, ideo omnis elemosyna fratribus pro quocunque titulo oblata Superiori tradenda est, qui pro veris omnium et singulorum necessitatibus illam expendere potest et debet.

6. Insuper Superiores non permittant, ut benefactor aliquis pecuniam pro indeterminatis aliqujus fratris necessitatibus nominatim deponat; sed cum ceteris elemosynis pro necessitatibus totius Conventus commisceat, ne ullus frater vel speciem quamdam juris quoad eam pecuniam habere videatur.

7. Si in cella defuncti confratris pecunia inventa fuerit, quod Deus avertat, defunctus omnibus Suffragiis carebit, et decessus ejus simpliciter Conventibus est indicandus.

§. 2. De Syndico apostolico seu parente spirituali

1. Declaramus, quod Minister Provincialis in sua Provincia, non autem Guardianus, possit auctoritate apostolica nominare aliquem extra Ordinem, qui sit verus et legitimus administrator, Syndicus et Procurator, quem his in partibus etiam parentem spirituales vocare solent, cum facultate recipiendi quascunque res oblatas fratribus, earumque pretium nomine Sedis apostolicae convertendi et alia praestandi in utilitatem Fratrum Provincialis igitur Syndicum sicut nominare et instituere, ita etiam nominatum et institutum destituere potest, accedente aliqua ratione sufficienti.

2. Ideo ordinamus, ut quilibet Conventus habeat suum Syndicum; et ipse Syndicus, si opus fuerit, potest alios, quos et quales voluerit, substituere ad ea, quae officii sui sunt, vice sua explenda; atque Syndico vel ejus Substituto omnes qualescunque eleemosynae pecuniariae consignentur.

3. Volumus tamen, ut sine dicto Syndico vel ejus Substituto nihil emi aut vendi possit, vel de eleemosynis sub quocunque praetextu disponi sub poena proprietatis; sub qua etiam prohibemus, ne Superior alibi, quam in manu Syndici vel ejus Substituti pecunias teneat, aut per alios illas expendat.

4. Hinc contractus, instrumenta, vel cujusvis generis scripturae, ad pecuniae administrationem usumque spectantes semper fiant per Syndicum aut ejus Substitutum. Quod si aliquando tamen a Fratribus id oporteat fieri, si nempe leges ecclesiasticae et civiles id postulant, talis sit haec scriptura, quae non dedeceat; veluti si Guardianus mere dicat, pecuniam aliquam fuisse receptam etc.

5. Cum Syndicis eorumque Substitutis fratres agant non jubendo, sed rogando, non tam-

quam Domini cum servis, sed tanquam Christi pauperes cum benefactoribus suis.

6. Quamvis autem a Syndico rationem accepti et expensi, seu computum politicum exigere jure nobis non liceat; tamen computum simplicem et naturalem cum eo fieri nihil prohibet quocirca talis computus sine ulteriori dilatione ubique fiat singulis mensibus, aut saltem singulis quatuor anni temporibus; atque Patres Conventus Discreti provide attendant, quomodo Guardiani eleemosynas administrent.

§. 3. De recursu ad amicos spirituales.

1. Declaramus, necessitates Fratrum, in quibus ad amicos spirituales pro pecunia recurrere licet, esse illas tantum, quibus excluditur aliquod damnum, non autem respicitur commodum, ita ut, quando, iis non provideretur, aut status Provinciae communis, aut cujusdam personae particularis damnum sequeretur, aut officium debite non administraretur. Judicium autem necessitatis verae et fratribus permissae reservatum est Superioribus, minime vero subditis.

2. Recursus ad amicos spirituales, in Regula prohibitus, non quidem ille est, quo indigentia rei exponitur et res in propria specie petitur, quamvis postea benefactor seu amicus spiritualis pecuniam expendat, sed intelligitur recursus ille, quo pecunia ipsa pro re quapiam non necessaria comparanda vel persolvenda procuratur. Ut igitur licite fiat recursus pro pecunia, debet esse necessitas praeterita, praesens aut imminens, non autem possibilis tantum, aut a longe futura, vera, propria Fratrum, in defectu alterius eleemosynae indifferens, et pro re, quae commode mendicatione haberi nequeat.

3. Nullus Fratrum subditorum praesumat auctoritate propria privatas sibi pro quacunque necessitate emendicare, multo minus expendere cleemosynas pecuniarias.

4. Ne in hac re delicata interveniat abusus neve irrepat praevarictio, Superiores quam diligentissime pervolvant Declarationes Nicolai III. et Clementis V. Insuper omnes Patres et Fratres obsecramus, ut omni studio devitent pecuniam, horrida a S. Patre damnatam maledictione, quinimo penitus amputent affectum ad illam, statui nostro rem perniciosissimam. Ideo Superiores super observantia praecepti hujus accuratissime invigilent, ne ipsorum negligentia quis pereat.

5. Quum vero consideratis mutatis rerum adjunctis tristissimis hisce temporibus cleemosyna pecuniaria ad sustentationem vitae omnino indigeamus, hinc mandamus, ut secundum declarationes Nicolai III. et Clementis V. omnis pecuniaria eleemosyna per Syndicum vel ejus Substitutum recipiatur, conservetur et de licentia ac dispositione Superiorum localium pro veris Fratrum necessitatibus expendatur.

6. Ast quum interdum, prout de praesenti, pro diversis Conventibus Parentes spirituales vere tales non dentur, standum est dispositioni, quae habetur ex Audientia ss. Felicis memoriae Gregorii Papae XVI. de die 24. Sept. 1838., vi cujus licitum est, ut Superiores cleemosynam pecuniariam in Capsula reponi faciant, quae duabus muniatur clavis diversis, quarum altera ab ipso Superiore, altera vero a Substituto custodiatur. Capsula haec in loco aliquo tuto conservetur, et ex ea, quando opus fuerit, fr. Tertiarius, qui Substitutus est Syndici, in praesentia Superioris pro quotidianis expensis accipiat tantum ad manus, quantum iste expedire judicaverit.

7. Ex eadem ordinatione Summi Pontificis Superiores quolibet mense Patribus Discretis rationem de administratione eleemosynae pecuniariae reddere tenentur, eisque protocollum, in quo Introitus et Exitus ejusdem eleemosynae conscriptus invenitur, revidendum ac subscribendum consignare.

S. Consultum sit etiam Superioribus, né fratribus Tertiariis, praecipue junioribus et undequaque haud probatis, nimis fidant; hinc exiguum tantum de hebdomada in hebdomadam eisdem pecuniae summam ad manus consignent, et vigili, ubi opus fuerit, eos observent oculo, ut cognoscant, an revera fideles sint administratores eleemosynae.

Caput V.

§. 1. De modo laborandi.

1. Juxta declarationem Nicolai III. ad manuum laborem minime adstringuntur ii, qui divinis officiis et ministeriis sacris addicti vel ipsi litterarum studiis operam navant, vel in iisdem alios instituunt, cum hoc ipsum studium labor sit maxime honestus, Ordinique perutilis. Econtra ad repellendum otium, animae inimicum omnes Laici et Tertiarii, aliqua arte statui proportionata imbuti, illa occupentur, et alii his adjungantur, ut ab eis opificium seu artem, quantum fieri potest, addiscant, aut in eadem sese perficiant, et sic Provinciae evadant magis proficui et utiles.

2. Qui pileos, chordas, coronas et similia conficere norunt, ea nec venalia facere, nec sponte sua commutare praesumant; sed in hoc a nutu Superiorum dependeant. Ideo dum opera similia perfecta fuerint, statim indicentur aut consignentur Superiori, qui pro sua prudentia et discretione de iisdem disponet.

3. Fratres Laici et Fertiarii singuli teneantur pluribus officiis satisfacere, pro ingenii et habilitatis qualitate, operaque manualia in Conventu, quantum fieri potest, omnia perficere, ne famuli seculares ad Refectorium, aliasque interiores officinas admittantur, nisi ubi aliter fieri nequit; horum praecipue sedulam culturam exercent.

4. In quolibet Conventu Pater unus a Provinciali nominatus deputetur, qui singulis hebdomadis, nisi justa ex causa impediatur, die et hora, quae conventualibus laboribus minimum causet praejudicium, omnes Fratres Laicos et Tertiarios, nec canitie ullum excipiente, in loco ad id destinato super doctrina christiana, Regulae nostrae tenore, praeceptis, eorumque sensu, nec non votorum solemnium gravitate instruat et exhortetur.

§. 2. De studiis et studentibus.

1. Minister Provincialis super studiorum profectu diligenter invigilet, ipsisque Lectoribus et studentibus de rebus necessariis, tam ad victum, quam vestitum pertinentibus, ac ea omnia, quae ad rem litterariam pro statu nostro pertinere judicaverint, per Superiores locales providenda curet. Juvenes instituantur piis, solidisque exhortationibus ad exactam S. Regulae et Statutorum observantiam et ad amorem vitae religiosae nostrae seraphicae sibi aliisque aliquando profuturi.

2. Quum autem, docente Ecclesiaste „omnis sapientia a Domino et ejusdem sapientiae initium timor Domini sit“ atque juxta gentium Apostolum „pietas ad omnia utilis“ existat, aut omnia attendant studentes, ne, dum scientiis acquirendis operam navant, devotionis spiritum, cui cetera temporalia deservire debent, in se non tantum non extinguant, sed imo augere conservareque satagant.

Hinc preces matutinas atque vespertinas quotidie devote peragant, Officio divino ac Missae conventuali corde magis ac corpore assistant; pro accessu ad S. Synaxim debitam semper faciant praeparationem, eaque sumpta fervidas agant gratias, priusquam ad alia transeant negotia; atque dum Sacerdotibus in Altari deserviunt, praescriptum a Rubricis ordinem servant, modestiamque talem in cunctis prae se ferant functionibus sacris, ut in rudi etiam populo ex solo aspectu devotionis spiritum excitare possint.

3. Praescriptae pro studio horae accurate ab omnibus servantur, nec quis sub qualicunque specioso titulo aut praetextu sese eximat; quae omnia in Statutis specialibus, quae quotannis initio scholae leguntur, suo loco notata sunt.

4. A frequentando Choro nullus studentium sit exemptus, nisi in quantum publicarum praelectionum tempus vel infirmitas quempiam adesse prohiberet.

5. Stricte prohibentur omnes confabulationes clamorosae, cachini inconvenientes, familiaritates cum secularibus et conventicula superflua, praecipue vespertina, quibus non solum pretiosum tempus inutiliter teritur, sed et religiosa modestia perditur, disciplina claustralis dissipatur, multaue alia causantur mala.

6. Quoties Studentes recreationis gratia exire contigerit, id nonnisi dato a Superiore socio fiat, accepta in itu et reditu semper benedictione. Pro accessu ad secularium domos specialis necessaria est licentia Superioris, quae vero solitaria nunquam concedatur.

7. Si quandoque studentibus ad refocillandum animum recreatio fuerit cocessa vespertina, ea moderata sit oportet, et ultra religiositatis limites et horam nonam non extendatur, iis quoque diebus

absque gravi ratione non concedatur, qui studiis sunt deputati. Pulsato silentio quique ad scholam, aut ad sua sese recipiant cubicula, aut lectioni, aut orationi vacaturi.

8. Qui in gravi necessitate nivis aut pluviarum tempore ocreati exiverint, domum reversi ocreas, quippe quarum usus extra necessitatis casum omnino est prohibitus, illico exuant.

9. Patres et Fratres studentes, quousque ad publice praedicandum non fuerint approbati, singulis annis binos in Refectorio sermones, exercitii causa habeant, nec prius admittantur praedicare populo verbum Dei, quam juxta S. Regulam approbati fuerint.

§. 3. De lectoribus et scholae magistris.

1. Patres Lectores in utroque studio domestico gymnasiali et theologico Goritiensi et Lithopolitano, excolendae Juventuti religiosae destinati serio recogitent, quanti momenti sit munus, quo funguntur; futurus enim faustus vel infaustus Provinciae status ab illorum cooperatione vel quam maxime dependet quia juxta Prov. 22, 6 adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.

2. Hinc horas praelectionibus destinatas sedulo impendant institutioni juventutis religiosae sibi concreditae omnemque adhibeant conatum, ut eadem solide erudiatur in praescriptis disciplinis litterariis; ideo studia respectiva, tam matutina, quam vespertina saepius visitent, ut et a Superioribus laudem et a Deo convenientum laboribus suis mercedem recipere mereantur.

3. Patres Lectores recordentur, se esse subditos suis Superioribus, eisque omnem obedientiam et reverentiam se debere. Mutuam igitur foveant

pacem et cointelligentiam cum Superioribus majoribus et localibus ad adificationem studiosae juventutis. Item omnes communitatem sequantur.

4. In omnibus praeterea exercitiis scholasticis Juventutem sibi concreditam ita erudiant, ut illud Seraphici Patris N. monitum S. Antonio Patavino datum, semper prae oculis habere videantur: „Sic legas, ut neque in te, neque in ceteris s. orationis spiritum extinguere videaris.“ Ideo Clericos non solum litteris, sed vel maxime pietate atque timore Domini imbuant, quod praestabunt, si eidem Juventuti optimae vitae exemplis constanter praeluxerint,

5. Scholarum popularium Magistri, quamvis publicis fungantur officiis. nunquam obliviscantur votorum, quae Deo reddiderunt, et status religiosi, quem amplexati sumus. Quamobrem in omnibus subsint Superioribus suis, nullas exemptionis particulares praetendant, aut propria auctoritate quidquam, quod disciplinam claustralem concernit, disponant. Curent proinde pro munere suo adeo gravi ut non verbis tantum juventutem sibi concreditam sedulo instruant in scientiis humanis, sed religiosae praesertim vitae exemplis eandam aedificent, in timore Domini semper magis confirment et ad omne bonum quodammodo trahant.

6. Si aliquando extra horas praelectionibus scholasticis praescriptas quosdam pueros instruant, id ex licentia Superioris et ex charitate faciant; nunquam vero pro privatis hisce instructionibus aliquid ab eis exigere seu praetendere praesumant, quod statum nostrum dedeceret omnino.

7. Remuneraciones autem illas pecuniarias, quas ipsi Magistri, pro suis laboribus aut ex fundis publicis aut undequaque percipiunt, Superiores apud Syndicum vel ejus Substitutum deponi, cum Conventus deemosyna conjungi et subinde pro veris

Communitatis necessitatibus expendi faciant. Hinc ipsis Magistris nullo modo liceat, tales remunerationes tamquam proprium quid considerare, administrare aut quomodocunque expendere.

§. 4. De bibliothecis.

1. In quolibet Conventu locus sit competens, mundus, siccus et aurae pervius, in quo omnes libri congregentur et reponantur ad communem usum Fratrum.

2. Superiores conservandae augendaeque Bibliothecae solertem impendant curam, atque de sufficienti necessariorum pro communitate librorum numero diligenter provideant; et in illis praesertim Conventibus, qui ad Ordinis juventutem educandam destinati sunt, quantum oeconomiae status prudenter admiserit, Bibliothecae bonis, utilibus sanis et probatis libris omni sollicitudine amplientur. Ideo singulis annis inferiores Conventus infra duodecim, majores vero infra viginti quatuor florenos in libros non expendant.

3. Tempore Capituli vel Congregationis pro singulis Conventibus instituantur Bibliothecarii, viri competenti facultatum librorumque notitia pollentes, qui libros disponant, ordinent purgent ac cetera praestent, quorum executione Bibliothecae vel amissum splendorem recipiant, vel obtentum retineant.

4. Ut vero Bibliothecarum indemnitati consulatur, omnes tam Superiores quam subditi sub poena ipso facto excommunicationis incurrenda (S. P. Pii V. d. d. 4. Nov. 1568, conf. ab Innocentio XI. d. d. 16. Oct. 1683) nullo modo, neque per se, neque per Syndicum, quovis praetextu, colore vel causa alienent, vendant, commutent, sive aliter distrahant defunctorum Fratrum libros; aut eos, qui ad particulares Bibliothecas quavis ratione per-

tinent, vel quovis modo seu titulo fuerint monasterio acquisiti.

5. Licebit autem Bibliothecario aut Superiori locali tot libros cuilibet Fratri concedere quot juxta singulorum qualitates et officia necessarios judicaverint. Si tamen de Superiorum consensu exteris personis secus notis librum aliquem ex Bibliotheca commodare contigerit, id nonnisi adhibita semper sufficienti cautela fiat, accepta etiam cautione eorum, quibus commodantur, propria manu signata, ne libri aut pereant, aut destructi restituantur, aut nimis longo tempore extra Conventum remaneant.

6. Quilibet libros Bibliothecae debito tempore, eo magis ante discessum suum ex Conventu, restituat. Bibliothecarius vero in suo ad alium Conventum discessu successori aut Superiori omnis agendi sui rationem reddat.

7. Minister Provincialis Fratrum defunctorum libros Bibliothecis Conventuum, in quibus defecerint incorporari faciat. Quodsi vero in eis libri aequales praeexistunt, poterit de consilio Definitorii, alterutra publica utilitate, alterius Bibliothecae eos incorporare, eo ordine, ut prius locis consulat habentibus studia litterarum.

8. Si quis Fratrum aliquem librum aut opusculum a se compositum typis dare, vel etiam praeexistens reimprimi facere desideraverit, illud non Censurae tantum ab altiori foro fors praescriptae, sed eatenus licentiam et annutum M. Provincialis debite exquirere obligatur. Nec ephemeridibus ullus conceptus aut publicatio ab aliquo Fratre inseratur sine praescitu Superioris localis.

Caput VI.

§. 1. De paupertate altissima, de legatis et Missis

1. Pro puriore s. paupertatis observantia universaliter praecipimus, ut qui aliquid quodcunque

demum acquirit, illud quam primum Superiori exhibeat, ab eoque licentiam accipiendi et retinendi vel utendi humiliter petat. Item, ne quis sine licentia Superioris de rebus Conventus, vel particulari usui concessis aliquid elargiatur, exceptis solis munusculis spiritualibus, quae cum licentia Superioris ideo accepta habentur, ut aliis pie distribuantur. Illis quoque, praesertim Laicis, quibus administratio eleemosynae commissa est, prohibitum sit, quidpiam propria auctoritate sine licentia Superioris, et multo minus contra voluntatem ipsius nostris vel aliis distribuere.

2. Praecipimus igitur proprietatem quaruncunque rerum a Fratribus omnibus penitus esse amputandam, et supellectilem omnem, cum paupertate seraphica incompatibilem, prout sunt omnia nimis pretiosa et curiosa, prorsus tollendam; nec Frater aliquis aliam supellectilem habere vel retinere possit, nisi quam admiserit et adprobaverit Superior, cujus conscientiam super hoc oneramus. Memores illius effati divi Bernardini Senensis: „Proprietarii sunt, qui rem habitam reservant superflue, aut reponunt, nolentes uti, ne destruaturneve in futuro sibi deficiat.

3. Munditiem autem in Ecclesia, Sacristia, Choro et ubique in Conventu quam plurimum commendamus.

4. Superiores locales nullum novum aedificium inchoent seu expensas 50 florenorum excedentes, in Ecclesiis aut Capellis ornandis, seu aliis fabricis faciant, aut innovari permittant, nisi prius habita licentia in scriptis a M. Provinciali; teneantur tamen Superiores locales ad praecavendas majores expensas diligenti cura invigilare, ut aedificia monasteriorum sarta tecta, paramenta ecclesiastica et hujusmodi ubique, quantum necessarium fuerit, reparentur et conserventur. Superior proven-

tus pro restauratione Conventus destinatos conver-
tens in alia incompatibilia, suspendatur ab officio.

5. Mandamus insuper ad conservandum paupertatis thesaurum, ut in cibo, potu, vestitu, ceterisque ad Seraphicum institutum pertinentibus nulla differentia intercedat inter omnes et singulos fratres, qui praecipue Majores, quorum exemplo alii ducuntur, paucis et humilibus contenti sint, prout decet servos Dei et paupertatis sanctissimae sectatores.

6. Superiores omnibus communitatibus diligenter adsint, quantum occupationes admiserint; communitatem non observantes ad omnia Ordinis officia inhabiles sunt.

7. Decernimus, ut Legata perpetua vel pro serie annorum non recipiantur, nisi cum expressa protestatione coram haeredibus facienda, quod fratres ad illas annuas eleemosynas ex Legatis, sive cum onere Missarum, sive sine eo, prorsus nullum jus habent vi Legati, nec ad Sacra obligentur. Qua tamen protestatione non obstante, si haeres vel executor ex sua libera voluntate voluerit illas eleemosynas dare annue, fratribus illa sacra committere, poterunt fratres tuta conscientia recipere illas eleemosynas, et juxta doctrinam S. Bonaventurae in duabus Congregationibus generalibus receptam, et in Romana Rota examinatam legata habere permissum est. Cum autem ad Regulae puritatem servandam omnes census et legata perpetua publico instrumento sint resignata, ordinamus, ut Superiores locales authoritative se non immisceant, quasi jus et dominium habeant in ejusmodi censibus, cum, licet alii eos ex obligatione solvere debeant, nos illos non nisi per eleemosynam sine jure exigendi recipere valeamus; hinc si tractu temporis haeres vel executor a suo munere deficeret, Fratres nec per se, nec per Syn-

dicum trahere eum possunt ad iudicium, sed ad Sacra persolvenda amplius non tenentur.

8. Quolibet autem mense fiat per Discretos revisio Missarum manualium et perpetuarum fideliter persolutarum, et ad Capitulum et Congregationem Definitorialem mittatur testimonium tam de fideliter a quovis Sacerdote lectis seu applicatis Missis juxta intentionem sibi a Superiore praescriptam, quam de peracta revisione juxta Const. Innocentii XII. „Nuper a Congregatione“ d. d. 23. Dec. 1697. Si autem quaedam Missarum intentiones fuerint superfluae, non extradantur Sacerdotibus saecularibus, donec Conventus nostri iisdem carent, sed Procuratori Provinciae mittantur. Nullo autem modo restent intentiones sine stipendiis, quapropter omnibus Superioribus serio inculcamus, ne stipendia Missarum nondum persolutarum in usum Conventus convertant, sub poenis in fraudatores vel dilapidatores statutis, ultra poenas per Decreta apostolica de „Celebratione Missarum“ sancitas.

9. Item praecipimus, ne Patres Confessarii sese immisceant ad testamenta seu ultimas secularium voluntates, nisi pro mero consilio fuerint enixe rogati; neque moribundis suadeant ad aliquam eleemosynam Conventui aut Ecclesiae nostrae deputandam, vel qualecunque beneficium praestandum.

§. 2. De religiosa hospitalitate et fraterna dilectione.

1. Cum seraphicus Pater moneat, „ut ubicunque sunt, et se invenerint fratres, ostendant se domesticos inter se, Superioribus commendamus charitatem peregrinis et advenis exhibendam, non Fratribus tantum Ordinis et Provinciae nostrae;

sed si quos etiam cujusvis alterius Ordinis Religiosos hospitii causa ad loca nostra divertere contigerit, eadem, quae nostris, praestentur illis obsequii et charitatis officia, et majora quoque, prout per facultates licuerit.

2. Cum praeterea Ordo noster in humilitate praecipua et charitate fundatus sit, noverint fratres personas omnes ecclesiasticas modeste, humaniterque habere, ita ut in omni conversatione nil aliud experiantur, quam humilitatis signa, officia servitutis & reverentiae argumenta.

3. In singulis Conventibus, saltem majoribus, deputetur Frater idoneus, charitativus et discretus pro suscipiendis hospitibus, qui eos ad praeparatum cubiculum ducet, eisque omnia charitatis et humanitatis officia, prout decet, exhibebit. Accurata horum observantia P. P. Vicariis specialiter commendatur.

4. Superiores litteras obedientiales adventantium hospitem sive nostrae, sive alienae Provinciae usque ad eorum discessum penes se retineant; hospitem insuper extraneorum praevis in libro peculiari Obedientiales integras describi faciant.

5. Fratres hospites nostrae Provinciae, de Conventu in Conventum migrantes, teneantur post tertium adventus sui diem Chorum frequentare et in omnibus vitam sequi communem. Si egredi ex Conventu voluerint, licentiam a Superiore petant.

6. Si quis timore Dei postposito aliquem Fratrem in Ordine vel extra Ordinem diffamare, vel aliquid in praejudicium Ordinis revelare ausus fuerit, severe puniatur. Quare stricte prohibemus, ne quis aliquid dicat, quod in alicujus diffamiam cedat, vel inter fratres dissensionem vel scandalum afferat. In quo quidem momento per viscera charitatis Dei et Religionis nostrae dilectionem exhortamur omnes Patres et Fratres sub gravis-

sima Superiori majori reservata poena, ne secreta Provinciae, Conventus vel Fratris alicujus particularis (contra Decretum Clementis VIII.), sive scripto, sive oretenus, sive etiam nutu aliis, maxime extraneis et secularibus temere revelent, ad gravem totius Provinciae erubescerentiam aut praedudicium et confusionem. Hinc omnibus Superioribus et subditis, quibus adhuc cordi est honor et decus Religionis, sub merito obedientiae praecipimus, ut ejusmodi fratres vere detestabiles sine ullo respectu personae Superiori majori denuntient, qui, quae justa sunt, disponet.

§. 3. De fratribus infirmis.

1. Cum non Regula tantum nostra, sed lex etiam naturalis et positiva divina infirmorum curam specialiter urgeat, praecipimus, ut in Conventibus, in quibus fieri potest, infirmariae erigantur, quibus M. Provincialis communi Patrum consilio Fratres praeficiat peritos, misericordes, benevolos cum sociis ad id maxime idoneis, qui, quanta poterunt charitate, diligentia, patientia die noctuque infirmis assistant, serviant et opitulentur. Res vero quascunque pro infirmis destinatas vel ad valetudinaria ipsa quacunque ratione pertinentes, ab eis auferri vel ad alios usus quovis praetextu applicari non liceat.

2. Juxta declarationem Clementis V. Fratres per se fratribus infirmis serviant; ideoque pueri, famuli aut quicunque seculares ad infirmorum fratrum servitia non assumantur, nisi in illo necessitatis casu, dum ad hunc scopum in Conventu fratres sufficientes haberi non possunt.

3. Cibus et medicamenta ita opportune semper administrentur infirmis, sicut et charitatis ratio postulat, et per facultates licuerit, et ne quid eis desit, omni studio sollicitam curam ge-

rant Superiores, ita tamen ut contra praescriptum medici aegroto nihil permittant.

4. Guardiani et Vicarii infirmos quotidie visitent, ut et solatio illis sint, et ab eis, quae necessaria fuerint, melius cognoscant. Ceteri etiam fratres, et quidem, quantum fieri potest, extra tempus silentii, saepius eos visitent, adjuvent et pie in Domino consolari studeant; hinc evitent locutiones inordinatas, inutiles garritus et conventicula.

5. Provinciales ipsi, ubi infirmos invenerint, per se illos adeant et diligenter quaerant, an Superiores, an infirmarii et socii alique fratres, an etiam medici opportune adsint, an dentur necessaria etc.

6. Infirmos serio monemus, ut statim ab initio infirmitatis suae studeant per sacramentalem Confessionem et veram poenitentiam mundare conscientiam; sint memores altissimae paupertatis et abdicationis propriae voluntatis; hinc de roariis, imaginibus et similibus prorsus nil distribuunt aut dispensent sine scitu Superioris sui, meminerintque patientiae, et sic non erit „clamor in valetudinario, si patientia fuerit in infirmo et charitas in infirmario.

7. De cetero nullus infirmitatis causa medicum vocare et medicinam ab eo procurare audeat, nisi prius licentiam humiliter petierit a Superiore, quia experientia teste nonnulli nimis delicati sunt et infirmitatem vel simulant vel saltem exaggerant. Proficisci vero ad balnea majora (thermas) nonnisi ob gravissimam causam et secundum iudicium medici justi a M. Provinciali tantum concedi potest.

Caput VII.

§. 1. De Sacramento poenitentiae.

1. Patres Confessarii, ut sacrum Poenitentiae sacramentum ad propriam, animarumque ad ipsos

recurrentium salutem bene administrare valeant, probatos Moralistas et Ascetas frequenter legant, ne secus ea, quae semel didicerant, obliviscantur, sed potius in scientiae et doctrina continue crescant.

2. Guardiani et Vicarii sint plurimum solliciti, ut per sedulam et devotam ss. Poenitentiae et Eucharistiae Sacramentorum frequentiam in suis subditis sanctae conversationis puritas et devotionis spiritus conservetur.

3. Omnes fratres Clerici, Laici et Tertiarii, Sacerdotes si possibile, ad minimum semel in hebdomada, Sacerdotes vero toties, quoties opus fuerit, confiteantur Confessariis Provinciae, alioquin approbatis, qui a peccatis, non tamen reservatis, nisi hac facultate sint instructi, eos absolvant; ad Confessarios vero, qui non sunt Ordinis membra, ipsis non licet recurrere, nisi tempore Jubilaei, in itinere et casu manifestae necessitatis.

5. Pridie Coenae Domini ad serum post brevem exhortationem Superioris alter ab altero offensae et erratorum contra charitatem commissorum veniam petat.

§. 2. De casibus reservatis.

1. Clemens VIII. decreto dato 26. Maji 1593. undecim casus pro Regularibus reservabiles declaravit, eo adjecto, ut, si aliud praeterea peccatum grave pro Religionis conservatione, aut pro conscientiae puritate reservandum judicabitur, id non aliter fiat, quam generalis Capitulo in toto Ordine, aut Provincialis in Provincia, matura discussione et consensu. Apud nos sunt sequentes: 1. Veneficia et sortilegia. 2. Apostasia a Religione, sive habitu dimisso, sive retento, quando eo pervenit, ut extra septa Monasterii seu Conventus fiat

egressus. 3. Necturna et furtiva e monasterio, sive Conventu egressio, etiam non animo apostatandi facta. 4. Proprietas contra votum paupertatis, quae sit peccatum mortale. 5. Lapsus carnis voluntarius, opere consummatus. 6. Occisio aut vulneratio, seu gravis percussio cujuscunque personae. 7. Malitiosum impedimentum aut retardatio vel apertio litterarum a Superioribus ad inferiores et ab inferioribus ad Superiores. 8. Juramentum falsum in judicio regulari seu legitimo. 9. Procuratio, auxilium seu consilium ad abortum faciendum post animatum foetum, etiam effectu non secuto. 10. Falsificatio manus aut sigilli officialium Provinciae aut Conventus. 11. Furtum de rebus Monasterii seu Conventus in ea quantitate, quae sit peccatum mortale.

3. Circa quos Casus declaramus, quod ab illis absolvere possint Superiores locales, Patres Provinciae emeriti, Patres Custodes et Definitores tum actuales, tum habituales. Tempore exercitiorum quilibet noster Confessarius habet facultatem absolvendi a reservatis. Item ubique omnes nostri Confessarii, ad quos ex speciali confidentia accedunt tales poenitentes possunt eos a reservatis absolvere pro ista tantum vice. Insuper in quolibet Conventu M. Provincialis designet unum aut plures juxta majorem vel minorem Religiosorum numerum Confessarios, viros doctos, probos et prudentes. quibus facultatem in reservata pro foro conscientiae dabit; durabitque in his deputatis Confessariis absolvendi a reservatis auctoritas, usque dum non transferantur ad alium Conventum, aut de illis aliter disponatur. Unde declaramus, facultatem absolvendi a reservatis nullatenus esse perpetuam in Confessariis deputatis pro Conventu, sed restrictam ad locum et tempus.

4. Saluti animarum paterne prospicientes concedimus cuilibet Patri et fratri liberam peccatorum etiam reservatorum confessionem per annum diebus sequentibus: In Nativitate D. N. J. Chr., Dominicis Paschatis et Pentecostes; in solemnitatibus Ss. Nominis Jesu, Immac. Conceptionis et Assumptionis B. V. M., item in festis S. P. N. Francisci, Portiunculæ, S. Bonaventuræ, S. Antonii Patavini, Ss. Apostolorum Petri et Pauli, ac Sanctorum omnium. In his festivitibus quilibet secus approbatus Confessarius etiam a suprafatis Casibus reservatis absolvere poterit; de cetero vero sub gravi peccato et poenis per Ordinis Constitutiones sancitis, talem absolutionem nemo praesumat, nisi debitam a reservatis absolventi facultatem a M. Provinciali praevis legitime obtinuerit.

§. 3. De correctione delinquentium.

Causa haec Ministri Provincialis et Superiorum judicio et discretioni committitur, ita ut Minister majores, ceteri autem Superiores nonnisi minores poenas et castigationes infligere valeant; qui studiose admonentur, ut in hac re semper cum summa prudentia et discretionis moderamine agant.

Caput VIII.

§. 1. De Capitulo provinciali.

1. Minister Provincialis sex mensibus ante finem sui officii humiliter petat a Revmo P. Ministro Generali Visitatorem et Capituli Praesidem, et quolibet anno impetret ab eodem Revmo Patre facultatem celebrandi Congregationem Provinciale. Acta vero tum Capituli, tum cujusvis Congrega-

tionis Provincialis ad Revmum Generalem mittantur confirmanda et approbanda. Praeses Capituli et Congregationis tempore opportuno litteras convocatorias mittat, et quos de jure advocet; solitasque preces intimet.

2. Ad singula Capitula provincialia et Congregationes intermedias Superiores locales tenentur transmittere: a) Conventus, cui praesunt, Constitutionem, quae exhibeat sinceram, accuratam et specificam consignationem eleemosynae pecuniariae, ubicunque existentis, debitorum activorum et passivorum, Conventus provisionem, meliorationem etc. subscriptam per Conventus Discretos. b) Facta diligenti et conscientiosa revisione Sacrorum, veridicum a P. P. Discretis itidem subscriptum testimonium de intra legitimum tempus persolutis sacris, tum manualibus, tum fundatis, sicut et de persolutis Suffragiis pro defunctis, unacum accurata insinuatione numeri restantium Missarum. c) Attestatum authenticum de sacris exertis spiritualibus a quolibet Religioso singulis annis debite persolutis. d) Elenchum librorum unoquoque anno pro Bibliothecis conventualibus procuratorum exponendo integros eorundem librorum titulos et pretia praecisa. e) Inventarium rerum ad ecclesiam et Conventum spectantium.

3. Juxta generales Ordinis Constitutiones Provincialis teneatur ad quemlibet Congressum capitularem aut Congregationem convocare omnes Definidores actuales; Patres Provinciae vero olim Provinciales ad votum consultativum invitare et cum his omnibus ante electionem et deputationem Officialium de eorundem qualitatibus, praesertim Guardianorum, scrutinium tenere, alia concludere et definire; hinc duobus aut tribus diebus ante Capitulum congregetur antiquum ven. Definitorium,

cui Praeses proponat ea, quae tempore visitationis proponenda et emendanda putat.

§. 2. De Ministro Provinciali, Custode ac Definitoribus.

1. P. Provincialis in suos subditos, ac etiam in extraneos tempore, quo in Provincia degunt, eadem potestate ac jurisdictione ordinaria, qua Episcopus in suos Dioecesanos, gaudens, ex munere suo obligatus sit, debite vigilare et laborare, ut Provincia in debita observantia et disciplina regulari conservetur, ut Statuta et laudabiles Provinciae consuetudines exacte servantur, abusus vel corruptelae quaecunque evitentur, et si quae forsitan irrepserint vel irrepere incipiant, quantocyus tollantur. Specialissime autem curet, ut recta, a qua salus Provinciae maxime dependet, instructio et educatio juventutis religiosae in spiritu et virtute juxta praescriptum a Statutis methodum semper et ubique exacte fiat.

2. Cum Patres Provinciae, utpote majorem prae ceteris cognitionem Provinciae habentes, sint primarii Provinciae Consiliarii, sine quorum consilio graves personae judicari et puniri, aliaque ardua et graviora Provinciae negotia pertractari nequeunt, ordinatur, ut Statutis generalibus et Provinciae consuetudini conformiter tam ad Capitulum Provinciale, quam ad ordinarias et extraordinarias Congregationes invitari ac Consultationibus Definitorialibus etiam de instituendis Guardianis et Officialibus praevis fieri solitis interesse possint ac debeant, votis tamen definitivis et decisivis penes Patres Provinciae, Custodem et Definidores duntaxat remanentibus. Volumus insuper, ut eisdem tanquam de Provincia specialiter meritis debitus ubique honor cum competenti justitiae distributivae favore exhibeatur.

3. Patres Custos et Definidores unacum Patribus Provinciae teneantur dando salutaria consilia et vota, praecipue conservanda et restauranda observantia et disciplina regulari, Provinciali fideliter assistere, in Guardianorum electione, officialium institutione, Candidatorum susceptione et quovis alio gravi vel arduo negotio, secluis privatis affectibus, solum Dei honorem, Ordinis et Provinciae bonum prae oculis habentes, vota sua secundum propriam conscientiam et jura nostra dare, majori tamen parti subscribere et secretum stricte servare semper maneant obligati, praesertim vero illa, quae manifestata dissensionem, aversionem vel odia in Definitorium, aut aliquem ex Definitorio causare possent.

4. M. Provincialis non potest sine consensu majoris partis Definitorii super sententiis a Definitorio latis dispensare, aut alicujus Guardiani resignationem solus acceptare, minus eundem Officio privare, bene vero accedente et urgenti causa, potest eundem ab Officio suspendere.

§. 3. De Guardianis et Superioribus.

1. Cum vita communis quemlibet Religiosum summopere commendet, et observantia regularis a Superiorum exemplo maxime dependeat, praecipimus omnibus Superioribus juxta Constitutiones tum Ordinis, tum apostolicas, ut in Choro, Refectorio, victu et vestitu ac in ceteris omnibus communitatem omnino servant; imo qui in praedictis notabiliter negligentes, vel physice impotentes fuerint, declarantur inhabiles ad omnia Provinciae officia, ita ut nullus eligi valeat in Superiorem, qui communem vitam agere non possit, longiori scilicet tempore. Non enim intelligendi hic veniunt illi, qui malis physicis per intervalla molestantur, praecipue si aliis bonis qualitatibus commendantur.

2. Guardianorum et Superiorum principalis cura sit, verbo et exemplo praestare, attendere et vigilare, ut Regula, Statuta et Disciplina regularis in sua domo debite serventur, et inter Fratres vera concordia et charitas jugiter vigeat, fratresque, praesertim infirmi, necessariis sint provisi.

3. Superiores locales, sub poena suspensionis ab officio nullum aedificium inchoare vel destruere sine scitu Provincialis attentent, ut similia mature semper deliberatione suscipiantur. Sub eadem memorata poena prohibetur, ne arbores vivas, aut proficuas, aut fructiferas, aut secus ad ornatum vel umbram deservientes in hortis vel silvis Conventui adjacentibus succidere praesumant.

4. Serio monentur Guardiani, ne debitis passivis onerent Conventus. Prudentem igitur et discretam in omnibus servant oeconomiam; et qui notabiles dissipatores eleemosynae communis comprobati fuerint, ad Guardianatus officium perpetuo inhabiles declarantur.

5. Guardiani teneantur sub poena suspensionis ab officio in suis Conventibus certum et securum locum deputare, et ibidem instrumenta rerum notabilium conservare, quorum inventaria in Provinciae Archivum a Provinciali reponenda erunt.

6. Nullus Guardianus mutet sigillum Conventus quoad formam, inscriptionem et quantitatem sine licentia Provincialis; nec juxta veterem Provinciae hujus consuetudinem ullus praesumat in praesentia Provincialis in Refectorio post mensam dare signum surgendi et auferendi utensilia, non obtento ejus nutu.

7. Superiores locales diligenter et exacte adnotent omnia, quae memoratu digna et Conventui proficua vel nociva contingunt aut occurrunt, ut sunt etiam ritus et solemnitates, quo modo in quolibet loco celebrentur. Festa Ordinis et Dioece-

seos, item modus procurandi pisces, carnes, ligna etc., quorum omnium notam exactam teneantur ante discessum ex illo Conventu successori suo consignare. Successores idem praestent, et praecipue modum et ritum celebrandi Festa tam Dioecessana quam Ordinis introductum manteneant, legitimas locorum consuetudines stricte conservent, nec omnia ad libitum mutant.

8. Guardianus et Vicarius simul a Conventu nunquam absint, et unus aut alter Choro et Communitati, quantum fieri potest, semper assistat; si vero exeundi necessitas pro utroque foret inevitabilis, cura Conventus committatur digniori Patri de familia. Si autem Guardianus a Conventu per triduum absens fuerit, Vicarius eo ipso sit institutus Praesidens, et gubernet ut Superior localis; non tamen possit quidquam facere contra expressam Guardiani, etiam absentis, voluntatem, nisi tempus et necessitas aliud requirat de consilio Conventus Discretorum.

9. Vicarii instituantur moribus et vita probati, divinisque laudibus sancte in Ecclesia persolvendis vel maxime idonei et seduli, qui Regulae ac Statutorum observantiam sollicite promovere studeant.

10. Pro singulis Conventibus aliqui ex senioribus et aptioribus designentur a Definitorio, et in Capitulari Tabella notentur Discreti, quos in gravioribus negotiis Guardiani semper adhibeant, eorumque communi consilio et consensu determinatio fiat. Patres Provinciae, Custodes et Definidores actuales et habituales sunt Discreti perpetui.

Caput IX.

§. 1. De requisitis Praedicatorum.

1. Praedicatores enixe hortamur, ut pro instituto, quod profitentur, et apostolico munere,

quod exercent, ita pie sancteque vivant, ut quos erudiunt verbo, pascant exemplo, ne cum aliis praedicaverint ipsi reprobi fiant, et quorum vita despicitur, eorum praedicatio contemnatur; ideoque conversationes profanas devitent, moribus sint graves, sobrietatem sectentur, eorumque eloquia sint examinata et casta, ad utilitatem et aedificationem populi annuntiando eis vitia et virtutes, poenam et gloriam, cum brevitate sermonis.

2. Concionatores actuales tenentur quotidie accedere Vesperas, nec non (excepto die praevio et sequente concionem) ad Matutinum et meditationem illis septimanis, in quibus unicum tantum habent sermonem. Quoniam vero in aliquibus locis et certis temporibus plures conciones et extraordinarii labores Concinatoribus incumbunt, Provincialis arbitrio relinquitur, ut in hujusmodi Conventibus pro exigentia adjunctorum disponat, quid ipsi circa Matutinum observare debeant. Concionatores, qui annis 12 in verbi Dei promulgatione praeclare se gesserunt, titulo et privilegiis Emeriti gaudeant.

Caput X.

§. 1. De canonica Visitatione.

1. Cum Visitatio canonica pro regulari disciplina conservanda subsidium sit efficacissimum et quasi nervus et compago totius corporis regularis, obligantur Ministri, ut eam per omnes et singulos Provinciae Conventus diligenter instituant et perficiant. Provincialis Superioribus localibus accessum suum praevis notificet, cui Conventum, comite Secretario vel vicini Conventus Superiore ingredienti religiosa familia ad sonum campanae capitularis in corpore suam obedientiam et reverentiam praestat, in ejus cella.

2. Vesperi brevibus idem denuntiat pro sequenti die mane hora convenienti visitationis initium. Hora competenti celebrat et omnia fiunt, quae hucusque laudabiliter in usu erant, omnes vero Religiosi (foras expositi pro eo tempore ad Conventum a Superiore evocandi) praemittendis precibus et benedictioni interfuturi. Missa finita, inter quam Fratres Clerici et Laici communicent, visitat Ss. Eucharistiae Sacramentum, Sanctorum Reliquias, oleum sanctum, altaria, capellas, confessionalia, sepulturas, ecclesiam, sacristiam, sacram supellectilem et reliqua ad cultum divinum spectantia, repertisque naevis a Secretario adnotatis diligenter perlustret Archivum Conventus, in quo sequentia existant scripta: a. Tabulae capitulares continentes institutiones Superiorum et Officialium, unacum novis ordinationibus et decretis Definitorii. b. Litterae circulares Superiorum majorum i. e. Generalium, Provincialium et Commissariorum Visitorum. c. Liber continens statum Conventus personalem Patrum, Fratrum et Servitium, cum adnotatione diei, mensis et anni eorum adventus vel discessus. d. Catalogus defunctorum confratrum. e. Catalogus Anniversariorum et officiorum divinatorum per legata fundatorum. f. Duplex liber Misarum manualium. g. Liber debite instituendae collecturae pro Conventu in — et extra oppidum. h. Catalogus librorum ad Bibliothecam pertinentium. i. Liber continens susceptos ad III. Ordinem. k. Liber continens Nomen, Cognomen, locum natalem et tempus, quo Novitii habitum susceperunt et professionem emisierunt. l. Distincta rerum, praesertim ad infirmariam, sacristiam, sartoriam etc. Inventaria, a singulis officialibus vel specialiter deputatis facta, et quovis anno per Superiorem revisa. Omnia ista Visitor perlustret et defectuosa suppleri faciat; praesertim vero exacte perquirat

libros missarum manualium et eleemosynarum pecuniarum acceptarum expensarumque.

3. Opportuno tempore fiat Visitatio personalis, secum morem communiter servatum.

4. Autoritate apostolica autem cavetur sub excommunicationis latae sententiae poena, a qua, praeterquam in mortis articulo, nemo absolvi potest, nisi a Romano Pontifice; nec non sub privationis perpetuae omnium officiorum Ordinis, et inhabilitatis ad illa, vocisque tam activae quam passivae, eo ipso incurrendis poenis, ne quis Provincialis aut Guardianus, vel cujuscunque alterius gradus Religiosus Commissariis a Ministro Generali ad visitandas Provincias missis resistere, aut eis se opponere, aut contradicere seu rebellem se exhibere, ipsos quacunque de causa vel quaesito colore non recipiendi audeat vel praesumat. — Si quis se a Visitatore indebite gravari praetenderit, ei ad Superiores recurrere et ordine juris servato appellare liceat. Nemo autem appellare queat de correctionibus in foro paterno, absque sententia judiciali inflictis.

5. Ad finem Visitationes congregatis capitulariter Fratribus publice ea omnia, quae publicam correctionem admittunt, corrigat; habeat etiam sermonem exhortatorium ad Fratres, et data generali absolutione singulis benedicat, imponatque salutarem poenitentiam.

§. 2. De conversatione Fratrum claustrali.

1. Firmiter praecipimus, ut regulare silentium in Choro, Ecclesia, Sacristia, Dormitorio et Refectorio debite servetur; unde statuimus, ut tam hyeme, quam aestate, post datum silentii signum, usque ad horam canonicam Primam sequentis diei omnino sileatur, nisi gravis necessitas contrarium exigat.

2. Ordinamus, ut in mensa, durante lectione, silentium ab omnibus servetur; silentio autem dispensato nullus alta voce loqui aut clamitare praesumat ad alteram partem, sed omnes decenter et modeste ad invicem conversentur.

3. Sub refectione tam meridiana, quam vespertina semper legatur aliquid vel ex quodam S. Scripturae, vel S. Regulae expositore, vel ex quodam libro theologico, morali ascetico et doctrinali de vita spirituali probe instituenda, ut dum reficitur corpus, etiam spiritus non dimittatur jejunos, et ubi non sunt Clerici et Sacerdotes studentes, etiam omnes alii, praecipue juniores, ad lectionem mensalem teneantur.

4. Audito primo signo campanae mensalis ad prandium vel coenam omnes ad Refectarium compareant et benedictioni intersint, quae fiet more recepto absque cantu, in praecipuis autem sollemnitatibus benedictio mensae cantetur.

5. Ad Refectarium seu mensam non admittantur promiscue saeculares quicunque, nisi sint viri spectabiles, aut cives honorati, aut alterius conditionis homines Ordini addicti, aut Religiosorum parentes et propinqui. Convivia splendida, aut nimis frequentia non instituantur, sed cum discretionem et ex causa rationabili interdum fiant.

6. Nulli prorsus Religioso liceat cibum aut potum ex mensa secum portare, aut ad explendam propriam gulam, dum extra refectionis horam illa absumuntur, aut ad succurrendum cuicunque, dum pauperum et hospitem ipsi Superiores locales pro facultate curam gerere obligentur.

7. Nulli pariter permissum sit, cujuscunque dignitatis existat, in propria cella prandium vel coenam sumere, nisi ex rationabili causa, aut ob infirmitatem manifestam.

8. Superiores teneantur lumen nocturnum in dormitorio parare, et tam hyemali, quam aestivo tempore, quantum fieri potest, usque ad diem sequentem conservare.

9. Qui decumbens detracta clavi, vel aliter ad se ingressum impedire, sive sese occludere praesumserit, vel vero sine tunica aut sine femoralibus dormire repertus fuerit, puniatur; qui autem a proprio Conventu ultra diem naturalem abierit, ante discessum suum cubiculi clavem Superiori locali consignare teneatur.

10. Indignum aequae ac turpe est, propriae famae lucrum ab alienae diminutione mendicare, ac si illius pretium quovis obvio et effraenato discursu cuilibet depraedari liceret. Quapropter stricte praecipitur, ut omnes fratres quoad famam fraternaliter invicem sibi consulant, laudabiliter de se invicem loquantur, defectus in communitate quomodocunque commissos aliis Conventibus, eo minus personis saecularibus, non manifestent, nulliusque vel levem defectum promulgent, nisi ubi loci et temporis ratio salubrem fraternae correctionis stimulum addiderit, invicem occurrentes capitis detectione et inclinatione mutuo sese reverentur, maxime in publico, ne secus invicem sese spernendo Ordinis aestimationem apud externos diminuamus.

11. Omnium Epistolae, Patrum Provinciae exceptis, quibus particulare sigillum conceditur, sigillantur per Superiorem localem aut ejus Vicarium. Litterarius, qui epistolas adfert, omnium subditorum literas Superiori consignet, dein respectivis individuis distribuendas. Omnes vero inutiles aut superfluae correspondentiae tollantur omnino.

12. Ad haec cum modestia, praecipue linguae et oculorum mortificatio, in Religiosis maxime

ubique desideretur, omnes Patres et Fratres in Domino adhortamur, ut ubique locorum et semper, cum eos loqui contigerit, religiose, modeste et submisce loqui assuescant, a garritu et risu nimio abstineant, bireta exotica, aut quaecunque inusitata vestimentorum genera devitent, omnem singularitatem fugiant et in omnibus suis gestibus, motibus ac in ingressu nonnisi pacem, humilitatem et religiosam humilitatem ubique demonstrent.

§. 3. De praecedentia et titulis.

1. Ut cuique proprius assignari valeat locus, praecedentia inter Patres nostrae Provinciae juxta priscam consuetudinem a die reformationis introductam, extra Capitulum servetur hoc modo: Ministrum Provinciale sequantur Superiores locales; deinde Patres Ordinis, post hos Patres Provinciae olim Provinciales, inter se autem juxta prioritatem electionis, postea Custos et Definidores actuales, quos excipiant Custodes habituales juxta prioritatem ingressus in Ordinem inter se; dein Secretarius Provinciae; post quem Vicarius Conventus; ac post hunc Definidores habituales et Procurator Provinciae; posthac succedant juxta tempus, quo Ordinis habitum susceperunt, ss. Theologiae et Philosophiae Lectores, scholarum Directores, Parochiae Administratores, Novitiorum Clericorum Magistri, Concionatores ordinarii, tandem sequantur reliqui Patres, Clerici, Laici et Tertiarii juxta antianitatem.

2. Item, ne difficultates, vel controversiae oriantur ratione Conventuum, statuimus, ut in Capitulis Provincialibus aut secus, dum de eorum praecedentia sermo occurrerit, sequens, prout jam ab antiquo, Conventuum ordo servetur: 1. Conventus Labacensis B. V. M. Annuntiatae; 2.

Conventus Tersactensis Divae Virginis Gratiarum; 3. Conventus Goritiensis B. V. M. Annuntiatae; 4. Conventus Rudolfswerthensis S. Leonardi Conf.; 5. Conventus Lithopolitanus S. Jacobi Ap.; 6. Conventus Pisinensis Visitationis B. V. M.; 7. Conventus Samoboriensis B. V. M. Assumptae; 8. Conventus Klanjecensis B. V. M. Annuntiatae; 9. Conventus Nazarethanus B. V. M. Annuntiatae; 10. Conventus Carolopolitanus Ss. Trinitatis; 11. Conventus Runensis S. Antonii Patav.; 12. Conventus Jaskensis B. V. M. Assumptae.

3. Ad tollendum quemcunque inter fratres disordinem a prisco Ordinis usu sequentes Fratribus titulos competere declaramus: Admodum Reverendus solis Ministris et Vicariis Provincialibus, Patribus Ordinis et Provinciae, i. e. Provincialatus officio functis. Reverendus Custodibus Definitoribusque actualibus et habitualibus, nec non Guardianis actualibus. Multum Venerandus Praesidentibus, Magistris Novitiorum Clericorum. Provinciae Secretario, Vicariis Conventuum, Jubilaeis, Administratoribus Parochiarum, Directoribus scholarum, Lectoribus, Magistris Clericorum ac Procuratori Provinciae. Venerandus Sacerdotibus, qui annum Religionis vigesimum compleverunt, Cooperatoribus parochialibus, Concionatoribus ordinariis, Exhortatoribus fratrum Laicorum et publico officio fungentibus (his omnibus in suo munere actualibus tantum). Reliqui Sacerdotes simpliciter Patres titulentur, Clerici studenti Religiosi; fratres Laici Devoti. In schematismo vero typis impresso isti Tituli non exprimantur, sed officia tantum et Emerentiae adducantur.



Caput XI.

§. 1. De vitandis suspectis consortiis.

1. Cum non a malo tantum, sed a mali etiam specie cavendum nobis sit, praecipimus omnibus et singulis, ut studiose declinent consortia, familiaritates, conversationes, sequestrationes et colloquia mulierum ac personarum talium, ex quibus mali suspicio esse potest, tametsi sano animo candidoque, et sana ac bona mente fiant, ut sic eo facilius enitamur ad perfectam non corporis solum, sed et mentis, puritatem assequendam.

2. Si quis autem de suspecto consortio notatus fuerit, et paterne admonitus non se emendaverit, si officium tenuerit, eo suspendatur vel etiam privetur, vel aliis quoque plectatur poenis, prout in Statutis generalibus determinantur.

3. Quicumque convictus fuerit, suspectas domos ingressum fuisse, vel frequentem conversationem cum hujusmodi mulieribus habere, ab eo loco amoveatur et puniatur. Item, qui sequestratus a socio locutus fuerit cum mulieribus, de quibus iudicio Superioris merito suspicio oriri possit.

4. Nulli quoque liceat ad portam Conventus vel in Sacristia, vel in alio quocunque loco nimia habere cum mulieribus conventicula et colloquia; sed cum necessitas qualiscunque ad colloquendum cum ipsis suaserit, ad terminandum quam citissime tale negotium unusquisque festinet, omnemque inutilem, vanam et superfluum cum altero sexu confabulationem pro viribus vitare satagat. Sit secundum S. Augustini (in Ps. 50.) monitum „cum foeminis brevis sermo et rigidus.“

5. Sub poena suspensionis ab officio praecipimus Superioribus localibus, ut strictam in Conventibus servant et servari faciant Clausuram, et

quae S. Pius V., Gregorius XIII. ac Benedictus XIV. in sua Const. „Regularis disciplinae d. d. 3. Jan. 1742. de mulieribus in Monasteria, Conventus, domos et loca Regularium non admittendis piissime statuerunt, inviolate servantur; contrafacientes subjaaceant poenis statutis.

§. 2. De accessu ad Monialium monasteria.

Vi Statutorum et Constitutionum papalium etiam accessus ad Monialium monasteria sine licentia Superiorum nobis prohibitus est. Nullus ergo Fratrum sine licentia Superioris majoris vel saltem localis accedere audeat ad sic dicta Parlatoria et alia loca, in quibus Moniales ad colloquendum cum ceteris conveniunt.

Caput XII.

§. 1. De sacris missionibus.

1. Si quis Fratrum voluerit ire inter Saracenos, infideles, haereticos et schismaticos, in eorumque conversione gratiam desuper datam impendere, ac si a M. Provinciali licentiam acceperint, idoneique judicati fuerint ad mittendum, ii non tantum non impediuntur, sed omnibus etiam charitatis et benevolentiae subsidiis sublevantur ad effectum facilius consequendum; atque si post exantlatos multos in Missionibus labores in Provinciam fors demum redierint, ceu de Ecclesia bene meriti omni cum favore tractentur.

2. Sacerdotes autem idonei ad tale munus sint (juxta S. Bonaventuram) „robusti corpore, constantes in fide, probati virtute et semper irreprehensibiliter conversati. Provincialis autem sine consilio et consensu Definitorii in Capitulo congregati nulli concedat facultatem eundi inter haereticos, sed haec dependet a Ministro Generali.

Monitum.

De horum Statutorum observantia.

1. Quoniam in praesentibus Statutis omnia praesertim minutiora, quae in hac Provincia usu recepta sunt, non attinguntur, omnes ac singulos laudabiles Provinciae usus et consuetudines communiter approbamus, et ab antiquo servatos, praesentibus hisce generaliter acceptamus, et pro hic insertis haberi, ac omnino servari volumus.

2. Religionis enim in veteri splendore suo conservandae summa haec est: Observatio veterum consuetudinum, unde hoc maxime sancitur et supremum Statutum, quod pristina inviolate servantur.

3. Ne itaque in contemptum veniat Ordinis disciplina, praemissa Statuta ab omnibus servari volumus et jubemus, ita ut Superioribus quibusvis, Provinciali in tota Provincia, et Guardianis in suis Conventibus in omnibus supradictis Fratres omnes et singuli obedire teneantur, prout in aliis licitis et honestis, quae non sunt contra animam suam et Regulam nostram.

4. Ceterum ad hanc consequendam observationem expeditissima via est Majorum exemplum; hinc Superioribus quibusvis districte praecipitur, ut praedicta omnia, quantum ad eos spectat, accurate servant, et in suis administrationibus ab omnibus servari diligenter curent; quique in his notabiliter negligentes fuerint, suspendantur ab officiis, vel etiam priventur. Quapropter Ministri Provinciales in suis visitationibus super horum observantia specialiter inquirent.

6. Si qua difficultas vel dubitatio super his Statutis occurrat, id P. Provinciali dumtaxat cum Ven. Definitorio et nulli absolute privato individuo explicandum ac decidendum relinquimus.

7. Declaramus vero, per haec Statuta Fratres non adstringi ad culpam coram Deo, nisi quatenus ex lege divina, vel Regula ipsa, vel expresse ex declarationibus Nicolai III. et Clementis V. allegantur, aut contemptus gravis accedit.

8. Unde omnes et Patres et Fratres hortamur in visceribus Jesu Christi et amore S. P. N. Francisci, ut ex virtutis amore voluntatem propriam voluntati Superiorum, qui Dei vice loquuntur, humiliter subjiciant, fore ut hic et in aeternum beati evadant.

Fr. Godefridus Hlebec, Guard. Jaskensis.

Fr. Robertus Dolinar, Guard. Karlovacensis.

Fr. Raymundus Podlipec, Guardianus Klanjecensis.

Fr. Felix Podbregar, Guard. Samoboriensis.

Fr. Hugo Novljan, Guard. Pisinensis.

Fr. Theodoricus Murn, Guard. Kamnicensis.

Fr. Innocentius Koprivec, Guard. Rudolfswerthensis (Novomesto).

Fr. Basilius Dolinar, Guard. Goritiensis.

Fr. Julius Brunner, Guard. Tersactensis.

Fr. Athanasius Krajnik, Definitor aggregatus.

Fr. Victor Jerančič, Definitor et Guard. Conv. Nazarathani.

Fr. Placidus Fabiani, Definitor act. et Conv. Labacensis Guard.

Fr. Rudolphus Dolinšek, Definitor act. et Conv. Runensis (Brežice) Guard.

Fr. Thaddaeus Gregorič, Custos vocalis.

Fr. Eustachius Ozimek, Minister Provincialis.

Fr. Callistus Heric, Capituli Praeses.

Elenchus Capitum.



Cap. I.

§. 1.	De observatione S. Regulae	5
§. 2.	De obedientia	6

Cap. II.

§. 2.	De Novitiorum receptione	6
§. 2.	De Novitiorum educatione	8
§. 3.	De Fratribus junioribus et admittendis ad Professionem	12
§. 4.	De vestimentis et tonsura	15

Cap. III.

§. 1.	De divino officio et meditatione	17
§. 2.	De celebrando Ss. Missae sacrificio et aliis pietatis exercitiis	18
§. 3.	De suffragiis defunctorum	20
§. 4.	De jejuniis et abstinencia	21
§. 5.	De Fratrum conversatione	22

Cap. IV.

§. 1.	De pecunia non recipienda	23
§. 2.	De syndico apostolico seu parente spirituali	25
§. 3.	De recursu ad amicos spirituales	26

Cap. V.

§. 1.	De modo laborandi	28
§. 2.	De studiis et studentibus	29
§. 3.	De lectoribus et scholae magistris	31
§. 4.	De bibliothecis	33

Cap. VI.

§. 1.	De paupertate altissima, de legatis et missis	34
§. 2.	De religiosa hospitalitate et fraterna dilectione	37
§. 3.	De Fratribus infirmis	39

Cap. VII.

§. 1.	De Sacramento poenitentiae	40
§. 2.	De casibus reservatis	41
§. 3.	De correctione delinquentium	43

Cap. VIII.

§. 1.	De Capitulo provinciali	43
§. 2.	De Ministro Provinciali, Custode ac Definito- ribus	45
§. 3.	De Guardianis et Superioribus	46

Cap. IX.

De requisitis Praedicatorum	48
---------------------------------------	----

Cap. X.

§. 1.	De canonica Visitatione	49
§. 2.	De conversatione Fratrum claustrali	51
§. 3.	De praecedentia et titulis	54

Cap. XI.

§. 1.	De vitandis suspectis consortiis	56
§. 2.	De accessu ad Monialium monasteria	57

Cap. XII.

De sacris missionibus	57
Monitum. — De horum Statutorum observantia	58







